



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. II. Quænam peccata cadant sub reservationem?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

non posse illos censuras huiusmodi sibi reservare.

ARTICULUS II.

Quanam peccata cadant sub reservationem?

- I. Non constat inter Doctores, num possint reservari venialia, ac mortalia alias remissa. Peccata vero pure interna non solent reservari.
- II. Quando casus reservatur, peccatum externum debet esse consummatum, & de se grave; Unde percussio Clerici si sit simpliciter levis, quamvis cum culpa gravi, non est reservata; Est solum reservata Episcopo percussio, qua sit levis comparata cum enormi.
- III. Casus reservatus, effectu secuto, non incurritur ab eo, qui constituitur, antequam effectus sequatur.
- IV. In dubio, an peccatum fuerit mortale, seu an includatur in lege reservante, reservatio non incurritur; Quod si in tali dubio quis sit absolutus, non debet iterum a Superiore absolvi, si deinde deprehendat casum esse reservatum.
- V. Quid si idem peccatum cum censura a diversis superioribus reservetur?
- VI. Episcopis peccata nonnulla reservantur jure communi; Alia ex consuetudine; Alia vero per statuta Episcopalia.
- VII. Quid requiritur, ut casus Papalis dicatur occultus, & idcirco Episcopo reservatus? Et quid de occultis Bulla Cœna?
- VIII. Quanam dicantur perpetuo impediti adire Pontificem, ut eatenus possint a Casibus Papalibus per Episcopum absolvi sine onere?
- IX. Num sicut impeditus adire Pontificem potest absolvi ab Episcopo; ita impeditus adire Episcopum possit

si ab Inferiore absolvi?

X. Probabiliter impeditus adire Pontificem non imponitur ab Episcopo onus adeundi illum cessante impedimento temporali, nisi casus sit reservatus cum censura: Quid si ab inferiore decur absolutio? In articulo mortis onus hoc imponitur solum, si excommunicatus sit denunciatus.

I. Certum est primo, peccata venialia, necnon mortalia alias legitime confessa de facto non reservari; quicquid sit, Utrum de possibili reservari possent? in quo variant Doctores; Etenim qui dicunt, jurisdictionem in venialia haberi a Christo Domino, asserunt coherenter non posse ab Ecclesia reservari; qui vero asserunt, jurisdictionem haberi a Pontifice, dicunt posse quidem reservari sed inutiliter, cum possint aliis mediis tolli venialia; Et idem dicas de mortalibus remissis, & legitime confessis.

Certum est secundo, non reservari de facto mortalia pure interna; quamvis juxta communem sententiam Suar., Vasq., & aliorum reservari possint; Sicut de facto reservat Pontifex sibi dispensationem aliquorum votorum, etiamsi mere mentali.

II. Certum est tertio, quod quando reservatur actus externus, requiratur actus externus consummatus, & qui in toto rigore vocabuli sit talis; Unde reservata sodomia, verbi gratia, requiritur & commixtio duorum ejusdem sexus, & feminatio intra vas; quia reservatio habet rationem pœnæ, & ideo odiosa est, & stricte interpretanda. Hinc si referretur scriptio epistolæ de obscenis ad Moniales, si quis talem epistolam scribat, & mittat, sed ea ad Moniales non perveniat, non incurrit in reservationem.

Cer-

Certum est quarto, quod quando reservatur actus internus, qui procedat in externum, verbi gratia, peccatum contra castitatem, tum actus externus debeat de se esse gravis, ut docent Suar., Lug., & alii apud Leand. disp. 12. quæst. 9. contra Turrian. Unde qui ex intentione mortaliter peccaminosa contra castitatem diceret alicui aliquod verbum turpe ex se leve, vel aliam actionem externam ex se levem exerceret circa illum, puta tangendo ejus vestes, vel suspirando, &c., non incurreret reservationem; quia cum reservatio cadat circa actum externum, hic de se debet esse graviter malus, nec satis est, quod graviter malus sit actus internus; Ecclesia enim non judicat de internis. Hinc etiam fit, quod, reservato homicidio, non sit reservata percussio facta animo occidendi; & reservata percussione, non est reservata percussio levis facta cum intentione mortali; Et idem dicas de excommunicatione, quæ incurritur per actionem externam de se levem, etiamsi factam cum mortali intentione: Quare non incurrit excommunicationem, qui leviter percutit Clericum, aut qui reservato furto, parvam materiam furatur, licet cum intentione graviter peccaminosa: Percussio autem levis, quæ est Episcopo reservata, ut mox dicemus, non est percussio Clerici simpliciter levis, sed ea, quæ est solum levis comparata cum enormi, & simul est graviter peccaminosa.

III. Certum est quinto, quod quando reservatur casus, effectu secuto, verbi gratia homicidium, procuratio abortus, &c., si quis propinet venenum, vel vulneret, ita ut ex tali veneno, seu vulnere sequatur deinde mors, vel abortus, & interim poenitens confiteatur ante effectum secutum, casus non est reservatus, ut docent Dian., Lug., & alii communiter.

Utrum autem secuto effectu indigeat nova Superioris absolutione? Affirmat Lug. disp. 16. num. 253. sed communiter negant, quia fuit jam directe absolutus poenitens a tali casu: Et idem dicas, si casui sit annexa excommunicatio; Etenim sublata culpa, & curato morbo per confessionem ante effectum secutum, non potest incurri poena medicinalis, sicut est excommunicatio, quando deinde sequatur effectus, ut docent Avil., Filiuc., Hurt., Mend. num. 41.

IV. Quæritur nunc primo; An peccatum sit reservatum, quando dubium est de ipsius reservatione; Vel quia dubium est, an sit commissum, vel quia dubium, an fuerit mortale; vel quia dubium, an includatur in lege reservante?

Respondeo negative cum Lug. disp. 20. sect. 3. Suar. de censuris disp. 40. sect. 6. Leand. quæst. 11., & aliis communiter contra Arnil., Cordub. apud Lugo. Ratio est, quia reservatio, utpote odiosa, non debet ampliari ad peccatum dubium, sed restringi ad certum; nisi forte ipse reservans expresse vellet etiam peccatum dubium reservare, ut olim exprimebatur in casibus Bullæ Cænæ ante decretum moderatorium Clem. VIII. Et in Extravag. *Perleitis* exprimitur reservari Papæ percussorem clerici in dubio, an sit gravis, non quidem quando dubitatur, an peccatum internum fuerit grave; quia in tali casu multi docent, nec esse necessario confitendum, sed quando supposito peccato interno gravi dubitatur, an percussio etiam fuerit gravis; ut docent communius contra Bordonum apud Dianam p. 9. tract. 4. ref. 46. ubi pro benigniori sententia laudat etiam Sanch. lib. p. cap. 10. n. 74. docentem in dubio num percussio sit gravis, an levis, censendam esse levem, ne privetur Episcopus facultate ab-

solvendi ab illa. Quare solum quando percussio sine ullo dubio est levis comparata cum enormi, non est reservata Pontifici, sed Episcopo, ut si quis Clericum pugno, pede, vel lapide, aut ligno non relinquente vestigium percutiat; (attenta tamen gravitate injuriæ, non violentiæ) Immo ex Dian. part. 9. tract. 4. resol. 29. si percutiatur pugno Sacerdos in facie, ita ut aliqua gutta sanguinis effluant, adhuc percussio dicitur levis relate ad enormem, & Episcopo reservata; Quod si percussio fit ex se simpliciter levis, non vero levis comparata cum enormi, tunc nulla reservatio, nec excommunicatio incurritur, etiam si fiat cum intentione mortali, ut diximus num. 2. Quæ dicta sunt de reservatione, militant etiam circa excommunicationem, irregularitatem, & quamlibet aliam pœnam; In dubio enim peccati nulla istarum pœnarum incurritur, nisi exprimatur; Ideo autem irregularitas etiam in dubio homicidii incurritur, quia etiam in eo casu dubio exprimit legislator debere illam incurri, dummodo culpa fuerit certe mortalis.

Neque dicas, quod in dubiis tutior pars sit eligenda; ergo recurri debet ad superiorem pro absolute a reservato dubio, ut securior sit absolutio. Nam hoc est consilium, non præceptum, ut recte notat Suar. cum Navar., Sot., Sylvest., & aliis; Absolutio enim sic data ab inferiore habet sufficientem securitatem, cum sit moraliter certa.

Infertur hinc primo, posse Inferiorem absolvere a reservatis dubiis, sive dubium sit juris; verbi gratia, cum dubitatur, sitne a jure reservatum aliquod mortale certe commissum; sive dubium sit facti, verbi gratia cum dubitatur, an revera commiseris peccatum certo reservatum, puta, an quando protuleris hæresim externam,

etiam interius credideris, & protuleris animo eam asserendi; nam hoc totum requiritur, ut hæresis externa sit reservata. Ratio illationis est, quia in dubiis melior est conditio possidentis. Debet quidem confessarius dubium examinare, ne exponat Sacramentum periculo frustrationis; Verum examinato dubio, si adhuc hæreat, potest absolvere; quia dubium, quod remanet, tollit a peccato reservationem, si qua esset; ut infra dicemus de ignorantia reservationis, quæ eodem modo tollit a peccato reservationem.

Infertur secundo, quod qui in casu dubii absolutus est ab inferiore a peccato, vel a censura reservata, si deinde deprehendat certo peccatum illud esse reservatum, non tenetur Superiorem adire. Ita Lug., Bardi disp. 6. cap. 11. punct. 4. §. 5., quia jam ab eo peccato absolutus fuit directe ab habente tunc potestatem: Sicuti dubius de voto Castitatis, si dispensetur ab Episcopo, & deinde deprehendat votum Castitatis fuisse certum, non tenetur Pontificem adire pro dispensatione, ex Sanch. lib. 4. cap. 44., Lug. disp. 20. sect. 2.

V. Quæritur secundo; An possit idem peccatum a pluribus Superioribus reservari, ita ut sublata una reservatione remaneat altera?

Respondeo, vel reservatio fit cum censura, verbi gratia, cum excommunicatione annexa; vel non: Si primum, reservatio unica est, etiam si fiat pluries ab eodem superiore. Quod si fiat a diversis, verbi gratia, prius ab uno Episcopo, deinde ab alio, vel a Pontifice, tunc reservatio, & excommunicatio est multiplex, ita ut una sublata remaneat altera, ut ostendit Suar. disp. 31. sect. 4. si vero reservatio fiat sine censura, sive fiat ab eodem Superiore pluries, sive prius ab uno Episcopo, deinde a

Suc.

Successore, tunc unica est reservatio, & per unam facultatem absolvendi tollitur: Quod si fiat a diversis Superioribus, videlicet ab Episcopo, & a Papa, si prius fiat ab Episcopo, & deinde a Papa, tunc accedente reservatione Pontificia, cessat Episcopalis, ut notat Lug. num. 151. cum non habeat tunc Episcopus facultatem absolvendi, adeoque nec sibi referendi; Quod si prius fiat a Papa, deinde ab Episcopo, propter eandem rationem reservatio Episcopalis est nulla, ut docet Suar. disp. 31.

VI. Quæritur tertio; Quanam peccata sint de facto Episcopis reservata?

Respondeo, tripliciter posse peccata Episcopis reservari. Primo per statuta Episcoporum, sive synodalia, sive extra synodalia, Secundo per consuetudinem. Tertio jure communi. Quæ primo, aut secundo modo reservantur, recenseri non possunt, quia dependent a voluntate uniuscujusque Episcopi, & a consuetudine cujusvis diocesis. Univerſim vero solent sibi Episcopi reservare homicidium voluntarium, crimen incendiarii, Pollutionem Ecclesiæ, Perjurium in judicio, Adulterium publicum, Falsificationem literarum, & his similia, quæ discutit Tambur. in tractatu de Pœnitentia cap. 6. loquens de casibus Panormi reservatis. Quæ vero jure communi Episcopis reservantur, sunt, præter nonnullas dispensationes irregulartatum, & votorum, Primo levis percussio Clerici; & gravis, si fiat a femina. Secundo procuratio abortus foetus animati effectu secuto. Tertio communicatio in eodem crimine cum excommunicatis ab Episcopo, & alia hujusmodi, quæ notat Tolet. lib. 1. Instructionis Sacerdotis cap. 19. Ac demum omnes casus Papæ reservati, si sint occulti. Et iidem etiam publici in casu legitimi impedimenti sive

perpetui, sive temporalis possunt jure communi ab Episcopis absolvi, cum onere tamen, quod cessante impedimento temporali, ad Papam se præsentent; ut habetur in cap. de cetero de sentent. excommunicationis. At in articulo mortis non solum Episcopi, sed quilibet Sacerdos poterit ab omnibus casibus Papalibus absolvere, cum ex Tridentino in eo articulo, seu etiam periculo cesset omnis reservatio.

VII. Circa hæc notandum primo, Crimen illud dici occultum, quod opponitur publico, ut exponit Suar. disp. 30. sect. 2.; publicum autem dicitur, quod notum est fere omnibus Oppidi, vel vicinæ, vel communitatis, vel publice diffamatum, vel deductum in forum contentiosum, dummodo ob defectum probationis non sit ab eo Reus absolutus; Unde quamvis aliquando crimen notum sit aliquibus, adhuc potest dici occultum, quousque Reus non laborat publica infamia, ut docet Navar. in Manual. cap. 27. num. 254. Quod si delictum sit in aliquo loco publicum, non vero in eo, in quo petitur absolutio, Sanch., Dian., & alii putant, posse etiam ab Episcopo absolvi; Negat tamen Suar., quia quod alicubi publicum est, simpliciter est publicum; præterquamquod facile etiam ad alia loca delertur, & publicatur.

Notandum secundo, multos Doctores cum Tolet. apud Suar. loc. citat. negare, multos alios cum Navar., Lug. disp. 20. sect. 5. asserere, quod per Bullam Cœnæ revocata sit ab Episcopis hæc facultas absolvendi ab hæresi occulta, necnon ab aliis occultis casibus in ea Bulla contentis: quia in calce Bullæ dicitur Episcopus non posse ab iis casibus absolvere, non obstantibus quibuscumque: Quamvis utraque sententia suos habeat Patronos; quia quando dicit Bulla, Episco-

piscopos non posse ab iis absolvere, non obstantibus quibuscumque, intelligi potest, quod loquatur de iis casibus, quando sunt publici, non quando sunt occulti; Suar. tamen censet, tutiorem esse sententiam Navar., Quod praesertim verum est, postquam confixa est thesis illa tertia ab Alex. VII., quam mox referemus.

Notandum tertio, facultatem hanc Episcoporum, quam habent ratione officii, & idcirco ordinariam Episcopi, esse cuilibet delegabilem; Unde sequitur, quod Confessarius, cui Episcopus dat facultatem absolvendi a casibus sibi reservatis, possit etiam absolvere ab omnibus casibus reservatis Papae, dummodo sint vel occulti, vel cum legitimo impedimento ad eundem Pontificem, eo modo, quo potest Episcopus; excepta tamen haeresi externa, quae unice ab Episcopo absolvi potest, quando est occulta, juxta Trident. sess. 24. cap. 6., & ab Alex. VII. damnata est propositio 4. dicens, *Etiam Praelatos regulares posse ab ea absolvere in foro conscientiae.* Damnata nihilominus etiam est ab eodem Pontifice propositio 3. dicens: *Sententia asserens Bullam Coenae solum prohibere absolutionem haeresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, &c. in concistorio Sacrae Congregationis Cardinalium visa, & tolerata est.* Ubi nonnemo putat non damnari hanc sententiam, sed solum damnari, quod ea visa, & tolerata sit a Sacra Congregatione. Equidem cum Moja dicendum probabilius cenfeo, etiam sententiam illam damnari; quia nisi sententia esset falsa, Alex. VII. non fuisset adeo sollicitus de mendacio illo, quod ea sententia a Sacra Congregatione visa, & tolerata sit: Quare quamvis prius probabile esset, ex auctoritate Navar., Lug., & aliorum Doctorum, quod Episcopi possent ab haeresi occulta, & ab occultis omni-

bus Bulla Coenae absolvere, nunc tamen non videtur amplius ea sententia eadem probabilitate pollere, ut ostendimus in Trutina Theologica thesium damnatarum.

VIII. Notandum ultimo, onus comparandi coram Pontifice, cessante impedimento, non debere imponi ab Episcopo ei, qui absolvitur, quando impedimentum ad eundem Pontificem est perpetuum; quia frustra imponeretur. Dicuntur autem habere perpetuum impedimentum in jure Mulieres propter sexus fragilitatem, pueri ante pubertatem, Regulares, filii familias, Senes, videlicet septuagenarii, vel sexagenarii, immo per aliquos Doctores etiam quinquagenarii, Servi, idest Mancipia, Pauperes, Infirmi, Carceribus perpetuo detenti, vel ad triremes damnati, vel in Insulas relegati, Captivi apud Turcas; Necnon qui arripere iter non possunt sine gravi detrimento vel temporali, vel spiritali, vel proprio, vel suorum, videlicet uxoris, familiae, &c. Ad hoc tamen ut isti dicantur perpetuo impediti, debent tali impedimento laborare solum per decennium, aut etiam (ex Tambur. in decalogum) per quinquennium. Aliter dicerentur laborare impedimento temporaneo, & non perpetuo.

IX. Dubium est magni ponderis; An sicut in impedimento temporaneo, & non perpetuo ad eundem Pontificem potest Episcopus absolvere a casibus Papae reservatis cum onere comparandi, cessante impedimento, sub poena reincidentiae, ita pariter, quando poenitens habet impedimentum ad eundem Episcopum, possit quilibet Confessarius absolvere cum onere comparandi apud Episcopum, cessante impedimento, sub eadem poena reincidentiae?

Respondeo, plurimos Doctores cum Suar. disp. 20. sect. 2., Lug., Becan., &

& aliis communius negare, quia illud tantum exprimitur in iure; nec valet arguere a pari in lege positiva. Verum affirmant Perez disp. 50. sect. ultim., necnon Boss., Celestin., Hurt., & Granad. apud Dian. part. 5. tract. 14. resol. 58., & Dicastil. apud eundem Dian. part. 11. tract. 8. resol. 49. Ratio est, quia cum timeri possit in tali casu probabile periculum animæ propter dilationem pœnitentiæ; & cum aliquando etiam urgeat necessitas communionis, & non sit facilis contritio, ceteroqui prœrequisita, videtur verisimile, quod noluerit Pontifex tollere remedium confessionis pœnitentibus impeditis adire Episcopum, quod iterum explicabimus in de Censuris quæst. 2. art. 7.

Quare habens reservata vel Papæ, vel Episcopo, apud quos non patet aditus, & volens se reconciliare cum Deo, vel propter necessitatem communionis, vel ne diu sit in statu peccati mortalis, tripliciter potest se gerere: Vel primo præmittendo communioni solam contritionem, perinde quasi non haberet copiam Confessarii; etenim juxta primam communionem laudatam opinionem Confessarius non potest absolvere a reservatis Episcopo, vel Papæ in casu impedimenti: Vel secundo potest confiteri Confessario non reservata, ommittendo reservata; cum non habeat Confessarius potestatem in illa, ut docent Sor., Cordub., Pal., Dian. part. 2. tract. 4. resol. 104.: Vel tertio sequendo secundam hanc opinionem, potest reservata simul, & non reservata confiteri, ita ut ab his directe, ab illis indirecte absolvatur, ut communius Doctores docent cum Laym. de Sacramento Pœnit. cap. 12., Navar., Sor., & aliis. Immo ad id teneri docet Laym. ex D. Th., ut possit Confessarius integre cognoscere statum pœnitentis.

X. Addo hic probabilem esse sententiam Lug. disp. 20. num. 223. quod onus comparandi Papæ, cessante impedimento temporali, tunc imponi debeat ab Episcopo pœnitenti, quando hic ab eo absolvitur a censura reservata, non vero quando ab eodem absolvitur a peccato Papæ reservato sine censura; quod perraro accidit. Ratio, quam affert de Lug. est, tum quia in iure tale onus imponitur solum pœnitenti, qui ratione impedimenti absolvitur a censura; tum etiam, quia tale onus imponi debet sub pœna reincidentiae; quæ pœna solum cadere potest supra censuram, non supra peccatum, ut patet; tum demum, quia aliter qui fuit absolutus directe a peccato, teneretur iterum illud subijcere clavibus, quod videtur durum. Utrum autem qui propter impedimentum temporale absolvitur a casibus sine censura reservatis a confessario, eo quod pœnitens non possit adire Episcopum, juxta dicta numero præcedenti, tunc pariter possit confessarius ab iis absolvere sine onere, extra mortis articulum? Disputat Suario disp. 30. de Pœnit. sect. 3. & Lugo disp. 20. sect. 10. num. 224., & neuter audeat id asserere; cum communissime rejiciatur. Qua de re fusius dixi in Trutina exponendo tertiam thesim ab Alex. VII. confixam num. 7.

Dices. Ideo Episcopus potest a casibus Papalibus absolvere sine onere, si non sit illis annexa censura, quia aliter qui fuit absolutus ab iis directe ab Episcopo, teneretur iterum subijcere clavibus idem peccatum, quod est inconveniens; atqui hoc etiam sequeretur, si in casu impedimenti temporalis absolutus a confessario a casibus Episcopalibus sine censura teneretur adire Episcopum, ut iterum absolvatur cessante tali impedimento; ergo in utroque casu dari potest absolutio sine onere.

Re-

Respondeo negando minorem. Nam ideo Episcopus in casu impedimenti temporalis directe absolvit a casibus Papalibus, quia hoc illi a jure conceditur, tum in Cap. *de casero de sententia excommunicationis*, tum alibi; Unde cum absolvatur poenitens directe a casibus Papalibus, non debet iterum adire Pontificem cessante impedimento, ut absolvatur; sed si peccato est annexa censura, absolvitur cum onere sistendi se coram Pontifice, non ut absolvatur iterum a peccato, sed ut stet ejus mandatis propter censuram incursum, aliter in eandem censuram incidit. At quando confessarius ratione impedimenti temporalis absolvit a casibus reservatis, tunc non absolvit directe, cum nullibi talis facultas illi tribuatur, sed absolvit indirecte, non secus ac indirecte absolvit a peccatis oblitis; & ideo cessante impedimento datur onus adeundi Superiorem pro absolutione directa. Quod si Sacerdos absolvat moribundum a reservatis, tunc ideo absolvit directe, & sine onere, (nisi forte censura sit denunciata, ut satisfiat foro externo) quia ex Tridentino pro illo articulo confertur cuilibet Sacerdoti facultas absolvendi a quibuscunque peccatis, & censuris: Hæc enim habentur sess. 14. Concilii laudati cap. 7. : *Pis admodum, ne aliquis pereat, in Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis, & censuris absolvere possint.*

ARTICULUS III.

De iis, qui subjacent reservationi.

- I. Impuberes probabiliter reservationi, & excommunicationi non subjacent, nisi exprimentur.
- II. Probabiliter etiam ignorantes reser-

vationem poenalem illam non incurunt.

III. Ignorantia reservationis est solum in causa, cur reservatio non incuratur; sicut dicitur de ignorantia excommunicationis, aut si de reservatione dubietur.

IV. Num peregrini absolvi possint a reservatis sua patria, si non sint simul reservata in diocesi, in qua versantur?

V. Num peccata reservata in diocesi absolvi possint a quolibet confessario, si fuerint commissæ in Monasterio exempto?

I. **C**ertum est, reservationi universim subjacere omnes subditos reservantis; nisi specialiter aliqui exciperentur, ut de facto Eminentissimus Archiepiscopus Neapolitanus feminas excipit a reservatis luxurix, & pueros, ac puellas omnes ante 14. annum ab omnibus reservatis. Dubium tamen est, An universim impuberes, peregrini, & reservationem ignorantes reservationi subjaceant?

Quæritur itaque primo; an peccata impuberum possint reservari?

Respondeo, Palud., Belloch. apud Dian. part. 1. tract. 1. Miscel. resol. 1. negare, quia minor ætas excusat pueros in foro exteriori a pœna extraordinaria; Unde diximus quaest. 4. art. 3., impuberes transgredientes præceptum confessionis annuæ non incurere in foro exteriori pœnas latas in transgressores, nec excommunicationem ullam, nisi forte exprimerentur.

Sed Perez disp. 45. sect. 3., Lug. Homob., & alii distinguunt duplex genus reservationis, alterum poenalis, alterum medicinalis, ex Sanch. lib. 9. de Matrim. disp. 32., & dicunt huic reservationi medicinali, non illi poenali impuberes subjacere. Reservatio autem dicitur Medicinalis, quando imponitur ut remedium, seu quando